

citam legem, esset admissum, facile disciplinam omnem, in his maximi belli initiis, quatefacturum fuerit, sui impunitate, visum est xetono Dei consilio, exemplum edere in illum, quod omnibus utile foret, quamquam dubium non sit, quin eodem illo tempore, multa vel similia, vel detestabiliora etiam vitia in populo fuerint, quae propterea a Deo non castigabantur. Atverò cur magis in Achanem, quam alium quemvis sacrilegum, aut maleficum, publice tunc animadverteret, id in divino ipsius, curationis, dispensationisque rerum humanarum arbitrio positum erat. Et credibile est Achan grave illud supplicium, quod dabat, magis fuisse salutare, quam multis aliis suam ipsorum impunitatem, si beatam aeternamque vitam intueamur. Sed quando disertè pronuntiat Deus, se posthac non affuturum Israelitis, nisi anathemate abolito, quo se contaminarant, magna et perdifficilis, ut videtur, questio oritur, quia fronte catholica Ecclesiae gloriari audeat, de perpetua apud se Spiritus sancti presentia: cuius allatu ita dirigatur, ut in iis dogmatibus, quae ad probae nostrae religionis fidem pertinent, errare non possit, quando in eà non apud unum aliquem Achanem semel paucule res per sacrilegium sublata, atque in tuguriolo in terram defosse clam habentur: sed Pontificum, Episcoporum, Presbyterorum, aliorum sacerdotum, atque etiam principum viroorum superbissimas tecta, aulas, equos, ne dicam scorta, et vilissima mancipia, jam olim propterea exornentur ingentia sacrilegia, et quidem non earum rerum sacrilegia, quas res aliqui abolitioni ire oportebat (esset enim hoc tolerabilis), sed quibus Christi ipsius famem explere, nuditatem tegere, atque omnino urgentem egestatem sustentare jus erat. Sed difficilis illa, atque ut Ecclesiae hostibus videtur, inexplicabilis questio solvitur facillimè, si modò expendamus, quae sit Dei in illis verbis sententia, cum dicit: *Non ero posthac vobiscum*. Nam sanè id eum non sentire, abiectionem se posthac omnem populi sui curam, luculenter ipse apud Isaiam testatur his verbis: *Et ait Zion, deseruit me Jehova, et Dominus oblitus est me; an oblitisci queat mulier factis suis, ut non miseretur filii uteri sui? Etiam ut illa oblitiscantur, ego certe tu non oblitiscar*. Et verò quis sanæ mentis dicat Deum, etiam tum, quando maleficio recens commissio ipsa ejus indignatio videbatur esse maxima, non prorsus maternam sollicitudine Ecclesiam illam suam curasse; cum levicula clade affectam ad procurandam

expiandamque ingens malum permovet? planè sicut mater optima, si peccet filius, virgineo leviter corrigi atque emendat. Non igitur, quando ait: *Non ero posthac vobiscum*, suam se illis divinam gratiam, sacramque Spiritus sui instinctum, quibus ipsorum corda illuminentur, ad agnoscendam sacrorum sporum veritatem effatorum, dicit substracturum; sed de sua ope ad vincendos continuo successu hostes loquitur, quam dum illis negat, eoque ad se implorandum revocat, non magis deseruisse ipsos videri debet, quam mater fetum suum, si dulci tenuarum et lumbricorum nutrimento substracto, amaris eum cibis interdum vexet, aut si cum indulgentià corruptum ipsum animadverit, flagris avertat ad obedientiam. Ceterum ponit nobis ob oculos hic locus, luculenter, causam calamitosissimorum bellorum, quibus multis jam annis perpetuò infelicissimè confligimus cum Turcis: et quid porò nobis futurum sit prenuntiat, si Christo sua anathemata subtrahere, eaque in nostras voluptates avertere pergemus. Sed hoc haecenas. Chaldaeus, suo more, illud: *Non ero posthac vobiscum*, explicat his verbis: *Non faciam ut sit verbum meum posthac vobis auxilio; de quo loquendi modo jam semel iterumque diximus*. *VERS. 15. — SURGE, EXPIA POPULUM, ET DICITO, etc.* Postquam exposuit Deus ipsum facinus quale et quantum esset, superioribus duobus versiculis, jam revertitur ad id quod ceperat dicere versu 10, hoc est, ad exponendum quae sit illi malo faciendi medicina. Ideoque repetit mandatum illud, *Surge, Verbum*, *וּפַר*, non satis commode possum uno vocabulo latino reddere; utuntur autem Hebraei planè ut Plato usus esse, mihi quidem videtur, verbo ex conjunctione facto *ἀποκαταστάσει*, cujus vis neque expiandi verbo, quod ego reddidi, neque lustrandi, quod alii, neque purgandi, quod item alii, satis exprimitur; neque verò omnino consecrare est, sed comparare ad sanctitatem, Deoque conjunctione efficere, qui solus verè sanctus, purusque est. Chaldaeus suo more interpretatur, *וּפַר*, hoc est, ut forenses loquantur, citare, quasi jubeat Deus, imperatorem tempus locumque populo praestituere, quibus parati adsint. Hunc Judaeorum turba, ut solet libenter, sequitur. Sed quando is Dei sensus est, ut velit populum posttridè, tanquam ad suum tribunal, adesse, credibilis est, id eum juberi velle, ut corporis castimonie operam publice et privatim, pro se quis-

que dicit, sive quia manus habebant sanguine humano infectas, ex recente Jerichubitarum caede; sive quia tota castra illis athenaem polluta quodam modo censantur; sive denique vel ob id solum, quòd coram sacrario Dei comparere, iudicium divini aleam subire deberent posttridè; similiter atque in Exodo, 113, cum essent Dei effata audituri. Nam de iisdem tribus accipiendum esse hunc *וּפַר*, existimo, quos illic Moses praescripsit. Erant autem ii, ut vestes suas sordibus cluerent, et ut secularent. Illa enim caeremonie religionem, animis populi magnam offerrebat, cum quisque facile intelligeret, multò sibi servandum magis esse, ut castis animis sub Dei veluti aspectum prodirent, quam corporibus; quando his illi modis praestantiores sunt. Non ergo damnanda sunt externa pietatis admittacula, quibus opus habemus, tantisper dum homines sumus, lumbistimo. Sed haec pluribus sunt à nobis dicta ad versiculum quintum capituli tertii. Sed enim quis hic Deum reipsa successere Israelitis, aut ipsis deseruisse, dicat, cum videat, quantà cum benignitate omnem sui reconciliandi rationem, prope divinum suum Spiritum ipsis commoustrat? Debet autem hoc exemplum mirificè nos consolari, atque ad amandum Deum hortari. Neque enim ille minis nobis, dum saepe multumque delinquimus, congruos modos, quibus ad se revertamur, hoc est, redeamus in viam salutis, tum per sacra sua verba, tum per Spiritus sui divinos allatus quotidie suggerit, et ante oculos animi nostri ponit.

VERS. 16. — SISTETIS VOS IGHET MANE PER TAPTES VESTRAS, etc. Verbum *וּפַר*, est quidem in eà formulà positum, quam niphâl vocant grammatici; sed voluit usus, ut in eà non mere sed recipere passionis haberet notionem, qualem solent alioqui verba in hitpaël habere. Sed quo sit ista inquisitio acta modo, non una est. Hebraeorum sententia. Veteres enim, in Capitolis, ut vocant, R. Eleazar, scribunt, tribus omnes eorum rationali, sive, pectorali iudicario, quod Moses vocat *וּפַר*, Graeci λέγουσιν *κρίσιν*, hoc est, coram illà veste sacerdotali, in qua erant gemmae duodecim concinnatae dispositaeque certo ordine, et in singulis singula tribuum insculpta nomina, productas esse, hique eam gemmam, quae santis tribus habebat nomen, culpam prodidisse, splendoris sui obscuratione. Deinde verò in deprehensam tribus prosapia, familias, capita deinceps sorte ducta, esse inquisitum. Idque illis assentiantur etiam R. David Kimbi et Liranus

noster, Abibi verò somniant Rabbinii, arcam ipsam scaram primò eos qui noxiam tribum representabant, deinceps qui prospium, mox qui familiam, denique furem ipsum, cum se ante illam sisterent, veluti injecta manu, retinuisse, ut ne pedem loco movere possent. Mihi verò credibilis appareat, apprehendendi sermonem non eam vim hoc loco habere; sed pro arguere, sive indicare positum esse, ut sunt Septuaginta interpretati. Porro R. Levi F. Gersonis existimat, disquisitionem istam omnem sorte actam esse, sorti ionem antem adscribi Deo; quia ejus nutu rectè cadit sors, quod Salomon testificatur, inquit, Prov. 16: *In sinum projicitur sors; et à Domino est omne iudicium, sive ratio ipsius*. Et quò haec tanti momenti sortitio certiore haberet fidem, opinatur item Levi, Propheta manibus, coram arcà sacrâ, tanquam in Dei conspectu, mixtas atque extractas esse sortes. Josephus etiam, et interpres latinus sortitio esse censent. Idque mihi etiam probabilis videtur, quando et Sallem quoque et veteres apud Ionam constat esse sortitio, et quidem ad pronam, ut hic. *Non sortitio, si religiose tractetur*, numine divino regi, atque pro Dei arbitrio cadere, et esse, quod ait Salomon, *Dei iudicium*; praeter alia sacrae historiae exempla, ille sortitus satis magno argumento nobis est, quò Matthiam in collegium sanctissimorum Apostolorum cooptavit. Rectè ergo Augustinus dixit, sortitiam esse rem, quae in dubitatione humana, divinam potestati voluntatem. Verùm cumverò haec ad eas sortes minimè pertinent, quibus homines stultè, imò impie curiosi, rerum futurarum exitus praenoscere laborant. Sunt enim illic tales indiguae christiano homine sortes; vix enim ullà re incautis simul et gravius offenditur Deus, quam vanissimis illiusce modi superstitionibus; quae reipsa falsi cultus sunt, cum veri numinis neglectu conjuncti; ut neque illa sortes sunt ferendae, quibus male religiosum vulgus ad suas nundinationes, et ad questum faciendum divina oracula sollicitat. Aliud est, cum de compacto fortunae alea expectatur. Eas enim solas sortes benigno suo nutu regere et temperare existimandus est Deus, quae, pro re nata, ad publicam aut privatam hominum salutem procurandam, aut Dei gloriam illustrandam, justà cum reverentià et religione committuntur divino arbitrio, praesertim ab hominum cetera piorum. Sed ut ut hoc est, quando de hominis vitâ atque famâ hic agebatur, haud potuisset iudicium, solâ sorti-

tionem factam tantum apud universum populum esse, ut omnem effugeret calumniam, nisi accessisset ipsa etiam santis confessio. Quod et veteres Judei existimaverunt, qui in libro Tanchuma non dubitarunt dicere, tribum Judaeam arma adversus reliquas tribus de ista re sumpsisse, neque deposuisse, nisi postquam ipse suum facinus confessus esset Achan. Nam, inquit, si duo vel innocentissimi homines cogantur de capitali re sortiri inter se, damnabitur alteruter injuste tamen. Idem scribitur capite *vā anēdrāto*, ubi plurima de hoc loco inter Rabbinos disceptatio est. Atqui quod ad hujusmodi sortitionem attinet, qualem Talmudici obiciunt, ea periculum de re certā, tanquam incertā, facere, nihil esset aliud, quam Deo illudere.

Nos autem sortitionem nullam nisi cum religione conjunctam probabamus. Sed enim cur non uno sortitu tota absolvatur questio, verum tanquam gradatim à tribubus ad prosopias, à prosopiis ad familias, à familiis ad singula capita descendatur, equidem opinor vitandae confusionis causa id fieri. Nam in tantā capitum multitudine vix ulla hydrīa singulorum nomina potuisset capere, et extrahendi finis nullus fuisset. Tum facile potuisset quis alienum nomen pro suo dare, vel prorsus nullum dare, et nescio quid non facere, ne sors se proderet. At in praescriptā à Deo formulā fraus nulla fieri potest. Ipsō enim tribus quot et quae essent, aperta res erat, et nota omnibus. Jam verò quis non existimet, singulas tribus, suarum cognationum, cognationes suarum familiarum, familias suorum capitum numerum habuisse cognitum, et nomina calluisse? Fuere enim omnino *φύλαγγες*, sive tribuni duodecim, quorum suae quisque tribus, ut veluti dux et princeps erat, ita quot et quae in ea essent cognationes nominatim tenebat. Similiter singulae cognationes, sive gentilitates, ut sic dicam, suos habebant *δραμαγγες*, qui eorum familiarum, quas sub se quisque habebat, nomina numerumque non nesciebant, ut neque singularum familiarum nescirent, quibus essent praefecti capitibus, poterant ignorare. Itaque in primā sortitione sortes solae duodecim conjectae in urnam sunt, quae singulis tribus referrent. In secundā tot, quot habebat tribus Judae *φύλαγγες* sub se cognationes. In tertiā, quot gentis Zarahae demarchus sub se habebat familias. Denique in quartā, quot familia Zabdi continebat capita. Igitur parvo labore, nulloque errore res omnis acta

est: quae prorsus inexplicabilis erat futura, si sexies centena, aut eo plura nomina simul in hydrīam conjecta fuissent. Quin illud quoque probabile est, imperatorem, cum populam per suas tribus, ut est in sacro contextu, produceret, non quidem universam produxisse multitudinem, sed eos solos quos dixi, duodecim tribunos, sive phylarchos. Cūque Judae tribus notata infamiae esset, eos eum deinde solos citasse, qui singularum hujus tribus cognationum capita erant, hoc est, ipsos demarchos, ut nuper appellabam. Mox patefactā cognatione eā, in qua erat sacrilegus, solos familiarum patres sorte experiri coactos esse, et coram arcā prodire jussos. Denique prodiit familiā, omnes tandem, et singulos in medium venire atque sortiri debuisse, qui in eā familiā erant. Nihil igitur in his actionibus inordinati, nihil confuserat, sed discreta, explicataque omnia, ut facilis esset doli cautio. Atque hanc in aliis etiam caetibus celebrandis citandi solos primores rationem esse observatam crediderim. Sed quod ad praesentem questionem attinet, si quis existimet, ideò gradatim universitatem ad pauciores contrahi voluisse Deum, et postremò deduci ad singulos, ut is, qui in noxā se esse non ignorabat, cum se continuò peti, primum in tribu, deinde in gente, mox etiam in familiā, neque iudicium divinum usquam aberrare videret, ultro se ipse supplex proderet, priusquam à sorte nominatim proderetur, veniamque oraret, cui etiam tum planè fuisset locus; illi ego non repugnāverō, quippe qui nullā re magis quam misericordiā Dei, per omnem occasionem, praedicandā delecter, quā ut mortales omnes, ita ego imprimis maximè opus habeo. Et profectò vehementem et duram fuisse hominis obstinationem necesse est, qui perinde ac si ejus quod quaerebatur facinoris conscius sibi non esset, Dei iudicium, quod jam tribus ante pronuntiatū sententis certissimum esse intelligebat, de se nominatim fieri sustineret.

Sed prorsus geminam, vel majorem etiam impudentiam proditoris Judae nobis commemorant sacrae litterae, qui cum audisset Christum disertè dicentem: *Unus vestrum me prodet*, atque insuper, quis ille esset, tanquam digito ostendentem, his verbis: *Qui intinuit manum meam in carino, is me tradet*, nihil erubuit etiam tum interrogare ore durissimo: *Egone ille sum, magister?* Sed non desunt Satanāe artes mille, quibus hominum mentes alitmet, ne ipsos scelerum, quae vel jam pa-

tradrunt, vel obstinati animis conceperunt, possit penetrare. Illum igitur credibile est Judae persuasisse, nihil Christum mali passurum à Judaeis, etiam si tradatur, ut qui saepe esset à mediis hostibus furentibus facile elapsus, atque interim se improbos illos Phariseos et sacerdotes, argento eo, quod sibi fuerat depectus, multaturum, et facile deinde cum placabilissimo clementissimoque hero rediturum in gratiam. Similiter Achanem nostrum in eam primum opinionem induxisse, ut putaret, adversus expressam aliis verbis voluntatem Dei, non esse novo isti imperatoris edicto de anathemate obtemperandum; Deum enim in Deuteronomio edixisse, cum de expugnandis urbibus verba faceret: *Quidquid fuerit in urbe, praedam omnem, diripies tibi; comedesque spoliū hostium tuorum*. Deinde verò cum reipsa cernebat offensum Deum questionem jam exercere, et rectā in se collimare, tum sic existimaverit, complures praeter se alios esse, qui se ejusmodi impiā fraude obligassent, furtumque in tam splendidis manibus vel multo grandius fecissent, eos divinā sorte peti ad poenam, non se. Mirum enim quā variis technis eludat veterator ille probas nostras cogitationes, quas Dei Spiritus mentibus nostris suggerere non cessat. Nam ut aliquando fucus ipsius omnis, quo maleficiorum turpitudinem mirificè dissimulare novit, per veritatis splendorem sit deterius, tamen vel solo pudore, atque pernicioso infamiae metu, vel gloriosā ostentatione, homines, ut improbum suum constitutum teneant, neque inde ad id quod reum probumque est decedant, urget, donec tandem sera atque inutilis fiat poenitentia. Nos igitur ista et hujus generis alia exempla ante oculos habeamus, atque in tempore nosmet ad fontem misericordiā recipiamus, priusquam iudicati, decamur; neque à malo dæmone persuaderi nos sinamus, ut ullis tenebris, aut dissimulationum integumentis, qualia nobis ille varia fingit, speremus quidquam omnium, quae agimus, à Dei conspectu posse occultari, etc.

Agus. 45. — Et fiet, ut qui deprehensus fuerit, etc. Quod convertimus, *rem sedam*, est hebraicè *רמדה*, quae positio proprie, marcescere significat, veluti cadavera quae, amissa animā, tanquam sale, computrescunt; pertinet etiam ad folia, quae ut naturali humore destituntur, defluunt ex arboribus. Transferitur quoque ad ipsum animum, cum ille divinis suis virtutibus orbatus desipit, quem ejus morbum Graeci *ἀρρωστία*, nos dementiae et

vecordiam appellamus. Inde est ergo quod Theodotus hoc loco *ἀρρωστία* dixit, id est dementiae. Sed Septuaginta *ἀνομία*, converterunt, planè quo sensu Chaldaeus interpretatus est improbum. Idque mihi placet, ut per translationem accipiamus improbitatem, ea enim perse foedres est. Unde nostrā linguā, *schelmeren* dicimus. Sic enim etiam de stupro dictum est Genes. 34, et Judic. 20. Afferit igitur Deus causas diversas duas, cur in sacrilegum istum tam grave statui exemplum velit. Prior est, quia legem ad Jehova, hoc est, à summo numine, institutum violavit. Foedus enim pro lege, sive constitutione hic accipitur. Nam, ut ante dixi, quod imperator de anathemate edixerat, id Deus sibi sumit. Altera est, quia rem patravit, quae exemplo quasi tetra odore, populum universum facile infeceret, vel, ut simpliciter dicam, quia furtum commisit, rem per se improbam et maxime in Israel, hoc est, in eo populo, quem praecunctis totius orbis nationibus ad probitatem per plurimas leges, beneficia, miracula, ipse erudiverat atque commoverat. Quantum enim sit flagitium, Jehovae, hoc est, ejus Dei, ex cuius, ut sic dicam, essentia res omnes ortum habent, atque dependent, legem frangere, etiam si quod ille vetuit, per se neque malum neque bonum sit, argumento est acerbissimum ille casus, quem in universum genus humanum invenit primus parens. Quis enim refereret de arboribus aliis, an de eā quae in medio paradiso enata stabat, ederet Adamus, nisi hac interdictum ei fuisset? Et, ut exemplum, ei de quo agimus, penè geminum, adjungam, jusserat Deus Sauti, ut de iis rebus, quae Amaleitarum essent, nullam prorsus faceret reliquam. Ille verò regem ad triumphum et optima quaeque pecora ad sacrificia conservarat, eaque re divinis se jussis pulchre satisfecisse rebatur, quantum appareret. Verum Deus pronuntiabat, eam rebellionem non minus in vitio esse, atque cultum fictiorum deorum, quod flagitium est omnium maximum. Simulque illum regui fortunā privabat, quamvis caeteroqui nihil interesse videretur, in ipsā pugna, an paulò post, in sacrificiorum pompā caderent rex et pecudes.

Rursus, quis omnium qui stuprum mente non sit motus, non putet, furtum, quidem, adulterium, alia ejus generis facinora, esse per se improba, ut nulla unquam, quae ea prohiberet lex scripta fuerit? Sed enim quando hic flammis addicci Deus eum qui in noxā fuerit, unā cum rebus suis omnibus, meritiò questionem

mouet diuus Augustinus, cur lapidatus sit Achan, ut versu 25 dicitur, atque in ea questione expedienda argutius, meo iudicio, quam ad explicanda historiae sacrae verba appositius versatur, vir aliqui diuinus. Ille autem ferè recidit omnis ejus oratio: Josnam, ut valent, diuino allatum Spiritu, quae à Deo, de igne dicta sunt, ea aut ad illam penam quae Achadem post hanc vitam manebat, retulisse, aut ignis sermonem, de lapidatione accepisse, quia hoc supplicio, tanquam igne, expurgaretur Achan omni culpa. Eodem enim etiam spectare vasorum expiationem, quam in Levitico et Numeris fieri per ignem iussit Deus. Sed R. Salomon longe aliud querit effugium. Genset enim sic interpretandum esse hunc locum: Et fiet, ut quod deprehensum fuerit in anathemate, id cremetur igne; nimirum, inquit, tentorium Achani, in quo anathema deloderat, et cetera ejus suppellex, ad quam anathema adiunxerat. Porro ipsum, videlicet Achanaem et omnia quae habet, hoc est, ejus familiam et pecudes, obrutis lapidibus, inquit, ut sit oratio imminuta, et in posteriore membro ἀναθέματα. Nam accensus, inquit Zakeph, positus supra nemus 28, id est, igne, insistentium filic, atque interspirandum esse ostendit. Et ut haec, non sua, sed Talmudica commenta (leguntur enim in sexto etiam capite τὸ ἀναθέματα), ut, inquam, ista commenta, exemplo affirmet, ceteroquin nimis profecto absurda, citat locum, ut ipse putat, huic prorsus simillimum, ex Regum historia, ubi David sic loquitur 2 Sam. 5, 8: *Omnia qui percusserit Jebuseum, et attigerit ad canalē.* Nec addit, quo sit ille dandus praemio; hoc enim denum in libro Paralipomenon explicatur, futurum scilicet, ut per principē populi habeatur, qui primus ad canalē evaserit. Sed nos orationem tam mutilam minime hic ferendam putamus, aliamque suo loco solutionem simpliciorē profereamus.

Vers. 16, 17 et 18. — Igitur JOSUA MANE SURREXIT, PRODUXITQUE ISRAELEM, etc. Obsequium et diligentia imperatoris commendantur: quae quanta hic fuerint, de hesternā consternatione conjectura fieri potest. Sed enim, credibile est, adfuisse jam quidem quos oportuit omnes apud arcem, tamen quo rite atque ordine omnia agantur, produxit ipse imperator gradatim eos, qui quosque ordines representabant atque sortiri jubet: primum tribunos sive τῶν δυνάμεων; duodecim, deinde τῶν ἑκατόνων, qui singulas tribus Juda cognationes sive

gentes referabant; post, patres familiarum cognationis Zareiticae, Denique singulae capitales familiae Zabdi. Ceterum, cujus manu fortiter mixtae ductaeque sint, incertum est. Nam in sacra historia est, ubi ab his contraerantur, quos sit sortitio, ut Paralip. cap. 24. Est etiam ubi ab aliis, et ut opinor, sacerdotibus. Nam, jacite, inquit Saül 2 Reg. 14, 42; *inter me, et inter filium meum Jonathan.* Aliquando ipsi princeps sortitionis divinae administrat est, ut capite 17 videbimus. Nomen זבדי, versu capite 17 aut et collectivum est accipiendum, aut ut sit numerus singularis pro plurali positus. In eodem versu, illud זבדו, hoc est, virtutum, κατὰ χαρακτῆρα dictum est, pro זבדו, versu per familias. Qui hic Zabdi vocatur, habet in Paralipomenis nomen Zamri, ubi istae praesentiae explicantur: fuit ergo binominis.

Vers. 19. — ET UT JOSUA AD ACHANEM: FUGI, CONSTITUTE, etc. Ut nihil in principio vitiosius, quam effrenis ira et stonachans, praesertim adversus eos, quorum habet potestatem, etiamsi graviter peccaverint: cur enim aestuet bile animus, quando in promptu est vindicta? ita nihil in illo inimitabilis lenitate atque clementia. Quibus virtutibus quam egregie claruerit noster imperator Josua, praesens locus attestatur, dum suavissimis verbis Achanem compellat, qui per suum scelus panem ante populum universum tantum non in extremam desperationem adduxerat. Nimirum imitabatur ille magistri sui Moysi virtutes quasque praclarissimas, qui, teste Deo, fuit mortalium omnium mitissimus. Discant igitur qui potestate et dominatu aliorum hominum pollent, eam modestam temperare animos suos, ut neque indulgentiam colabam disciplinam sinant, neque rursus ira suavi, aut impulsu verius, penam justas crudelius persequantur, sed medicorum exemplo, medeantur morbis, non indignentur agrotis. Nam praclarè illud profecto, ut maledicta, à Philone dictum est, in eo libro, quo de immutabili Deo dissernit, *καλὴν εἶναι τὴν ἀπάρευστον ἡμῶν θύραν ἀκαταρτίᾳ δὲ, τὴν κακοθυμίαν,* hoc est, malarum actionum fontem esse praecipuam iram, bonarum deliberationem. Quod nostrorum poetarum quidam non minus acutè breviterque sic dixit:

Quem ratio non ira regit.
Porro illud: *Constitu, quæso, gloriam Deo Israelis,* existimant quidam, formulam esse obli-gandi hominem sacramento, quæ etiam usi sint a Pharisæis apud cæcum, in D. Joannis Evangelio,

et eum vel jurisjurandi religione detererent à predicando illo admirabilitatis maxime beneficio, quod à Christo recens acceperat. Sed ego, ut hoc fuditus repudiare, aut retellere nolo, ita non admodum probare possum, cum nihil appareat in illa Joannis narratione, quod juramento dicere cæcum voluerint Pharisæi, qui potius accensata Christi humanitate, quæ offendebantur, studebant hominem avertere ab ejus divina virtute predicandâ, atque ad transibendum omne beneficium in solum Deum inducere. Ceterum quis sit verus illorum verborum sensus, intelligi potest ex his quæ ab Estrâ dicuntur libro 5, capite 9. Ille enim rem difficillimam quidem, sed prorsus necessariam ad tuendam religionem et verum cultum, suscitavit populo, ait: Vos peccastis ductis xoris externis, plus quam ante peccarant Israelitæ. Jam verò edite hanc, quæso, confessionem, et constituite gloriam Domino Deo patrum nostrorum, ut morem gerentes ejus voluntati, discedatis à connubio barbararum mulierum. Nimirum benignissimus Deus suæ laudi assumere dignatur, quod homines ingenue sua peccata confitentur atque ad illius se voluntatem accommodare student; volebat autem, quod ad præsentem narrationem attinet, Deus, quarum rerum esset factum futurum, planè resciri, eum eas res abolitum iri oporteret. Dixerat enim: *Anathema est in medio tua, Israel: non poteris consistere contra tuos hostes, usque dum amoveritis anathema.* Ad hoc, cum divina sorte proditus esset Achan tanquam sacrilegus, utile erat ad faciendam militarem disciplinam in istis novi imperii auspiciis, re patet facta testatissimam esse indicii divini veritatem. Eo enim intelligere poterunt omnes, nihil tam occultè à quoquam committi posse, quod Dei oculos falleret. Talmudici in eo, quod jam sæpè cito, capite τὸ ἀναθέματα, scribunt idèò laborare tam sedulo imperatorem, ut certam hæc sortitio fidem in omnium opinione habeat, qua non ignora se olim sortitio hæreditatem distributorum populo. Nam, ut in Talmude Jerosolymitano scriptum est, ubi de tentoriis disputatio est, ad hunc modum ratiocinabatur illè apud se: Si intelligit populus, certam esse sortem, eam de hominis vita agitur, planè fidem et adjunges in iis judiciis quæ de opibus et possessione bonorum exercebuntur.

Sed enim ad Dei gloriam conducere mortaliū confessionem, sacer etiam vates cecinit, cum diceret, Psal. 50, v. ultimo: *Qui sacrificat*

confessione, honorat me. Neque verò aliud sincerius divine laudis sacrificium à nobis fieri potest, quam ut Christo recens acceperat. Sed confessio, Dei sublimem majestatem effra-nis, vitæ, culpasque nostras detestetur; illius divinam justitiam, et simul immensam misericordiam prædicemus, sive meritas penas à nobis exigat, sive remittat. Sic enim Daniel, post fidem atque innocentiam suæ multiplicem gratiam, ut Cypriani verbis utar, jejuniis, saeco, cinere, confessione adhuc Deum demulcebat. Quippe cultus nullus absque illiusmodi confessione conscientiam pietatis esse videtur, ac sanctus. Quare apud Mattheum, qui à Joanne erant sacro baptismo initiandi, peccata sua primum confitebantur, atque alibi, constituta jam tron Ecclesiâ, Apostolus suo confitentur flagitia, qui admirabilibus nominis Jesu miraculis territi, cultum religionemque Christi susceptum veniebant. Denique divus Cyrilianus nihil dubitat dicere, ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, vim afferri corpori Domineo et sanguini, si quis audeat sumere, et plus in Christianis manibus atque ore delinquit, quam deliquerint illi, qui ipsum abnegarunt Dominum. Et vrsus, confessionem esse custodiam spei, fidem retinaculum, salutaris itineris ducem, fontem nutrimentumque bonæ indolis, ac denique virtutum omnium magistrum, quam sectari salutare sit; aversari verò, aut negligere, lethale. Hoc igitur sanctissimo sacrificio Achan Dei gloriam hic illustrat, dum ejus iudicium esse rectum, se verò pravum ac solum consistit, atque etiam, ut nostrorum plerique, post Talmudicos existimant, se per Dei misericordiam ab aeterno supplicio vindicet, dum sui ipse accusator, contrito demissoque animo sacra illa verba omnibus piis præit: *Verè ego peccavi in Jehovam Deum Israelis.* Nam ut contumax dissimulatio, inquit Tertullianus, cont. Marc., scelera exaggerat, sic simplex humilisque confessio relevat: qui auctor confessionis præstantiam ab ipsis humani generis repetens primordius. Adamum primum, deinde ejus filium Cain, idèò esse à Deo interrogatos ait, ut aut spontaneam confessionem levior, aut infatigatione graviora facerent sua maleficia. Nam eum alter, inquit, pudenter confitetur, alter pernegat impudenter, illi spei salutis reliquam facit Deus, hunc exitio aeterno addicit. Sed jam longius exiit. Ceterum qualis esse debeat vera confessio, ipse Achan

nobis versu proximo explicavit. Sed vox, *וְיָרִיב*, inquit confessionis hostes et ficte pietatis astuti simulatores, non confessionem, sed gratiarum actionem, laudisque prædicationem significat. Atqui ego pernego vel gratias, vel laudem aliam illâ voce significari, in sacrâ certè historiâ, quàm in quibus ita versatur, ut simul ei quem laudamus, aut cui gratias agimus, nosmet tanquam fontes subjiciamus, et sicut ejus quædam benefacta, ita vicissim nostra maleficia commemoremus, hoc est, quæ laudes, quæque gratiæ cum confessione sint conjunctæ, aut potius ex confessione compositæ et cogmentatæ.

VERS. 20 ET 21. — ACHAN VERÒ RESPONDIT JOSUE, ET DIXIT: VERÈ EGO PECCAVI, ETC. Quod ait, *verè*, est ingenuè et apertè confitentis crimen, contra atque hypocritæ solent, qui etiamsi manifestò flagitii tenentur, tamen quovis colore illud infucare, atque ut variis causis a se commissum excusare satagunt. Item Epicurei, qui pulchrè defunctos se confessione putant, si in sacerdotis eujuspiam aures, quem sibi vel vitæ improbitate parem nebulonem, vel beneficis obstrictum assentatorem, vel aliqui in doctrinâ ecclesiasticâ rudem, ad id delegerunt, sua scelera turbidè et generatim, voceque obscurâ et confusâ, neque ullo cum vero genitū, mussarunt; et simul atque impositam suo capiti manum illius sensere, quasi omni reatu soluti sint, ita sibi blandiuntur ipsi. At Achan nihil dissimulat omnium, sed, *verè*, inquit, *ego peccavi*, q. d.: Non est quod elevem quæ commisi. Sunt ea gravissima, et quovis supplicio digna. Sed neque est quod in alium culpæ partem transferam; ego enim ipse deliqui; meum solum facinus est. Cùm porrò subjungit: *In Dominum Deum Israelis*, ipsum verè confessionis fundamentum locat. Sic enim ait: Peccavi in verum Deum, illum rerum humanarum iudicem atque inspectorem, à quo factus, et innumeris beneficis affectus sum, quippe Israelita, ut meritò ingrattissimus censerè debeam. Deinceps pergit explicatè atque distinctè et illuminatè rebus verbisque dicere peccata. Illud enim, *et sic, et sic feci*, tacitam continet hypotyposin, omnisque rei actæ evidentem et illustrem explicationem, in quâ explicatione progreditur ordine, ab ipso videndi sensu, tanquam malarum rerum face, ad inflammatum cupiditate animum; deinceps ab æstuante atque incitato nimâ appetitione animo, ad opus; ab opere ad conscientie mortuum; unde occultatio demùm est consecuta, qualem seriem connexionemque rerum in om-

nibus ferè peccatis esse animadvertimus. Certè in omnium primâ, quæ est à primis parentibus commissa culpa, talem nobis laudentibus depinxit sacra historia. Sciens hoc loco præterire, quæ Talmudici, *in rîb' avêdûqin*, alia sacrilegia Achæis colligunt, ineptè sanè, ex istis certè verbis, à Davide Kimhi et R. Salomone hic laudata. Illud tamen non possum non damnare impietatis, quod ibidem prodere non verentur, imperatorem Josuam simulatè promissâ impunitate, hanc confessionem ab Achane eliciuisse, quâ fidem sorti confirmaret, cùm hâc ipse esset aliquando suas cuique possessiones distributurus. Andivi equidem blanditiis et fictâ veniæ spe magistratos nostros solere multa conquerere, elicere, cognoscere ex sontibus. Verum putare, divinum virum Josuam dandæ adversus pronuntiatam à Deo sententiam veniæ simulationem induisse, id verò nefas esse statuo. Porrò quod sum interpretatus *paludamentum Babylonicum*, est Hebraicè *שָׂמַר מְדִינָה*. Significat autem nomen *Addereth*, si ipsa notatio spectetur, vel tapetem, vel vestem magnificam, et quæ gloriam conciliat ei qui utitur. Paludamentum autem procerum fuisse, præsertim in expeditionem exeuntium, attestat Juvenalis, cùm de parùm verecundâ feminâ sic loquitur: *44*

Cumque paludatis ductibus, præsertim maris, ipsa loqui, rectè facie, etc. *1159* *וְיָרִיב*, aut. Et apud Jonam, rex Ninives exuebat se *addereth*, ut saccum indueret. Septuaginta *φάρις* converterunt, nimirum quia paludamentum vestis genus leve et expeditum est, utpote militare. Nam *φάρις* vocant Græci levis armaturæ militis. Est tamen, ubi minimè splendidum cultum significet, sed philosophicum potius pallium, quale fuit illud celebratum Eliæ, quod Elisæo è sublimi demittebat, vel villosum tapetem. Sed tum sæpè, *addereth sear*, hoc est, pilosum et rude pallium, vel stragulum per antithesin, opinor, illius alterius *addereth synar*, babylonici pallii vel straguli vocatur; verbi ad litteram immutati similitudine graviter et præclarè ob oculos posito utroque cultu, et superborum hominum, et humilium demissorumque. Exempli existant Genes. 45, Zachariæ 15, et alibi. Nimirum homines cœlestium rerum contemplatione solâ districti, villosâ veste corpus ab aeris injuriâ defendere atque insternere satûs habebant, exquisitum cultum aulæ relinquebant. Ceterum *Synar* Babylonicam regionem vocari, in quâ famosam illam turrim molehatum tum gloriæ avida, tum diluvii metuens Noë post-

ritas, testatum in Genesi est. Babylonicæ autem vestes et peristromata, ob mirificum texturæ artificium, in pretio fuisse, antiquissimi quique scriptores prodiderunt. Et inter alios Plutarchus memorat, frugalem illum M. Catonem, cùm ei ex hæreditate *ἐπιβραμα τῶν πεδίων ἐσθλοτέρων* obvenisset, mox divendidisse. Variis enim coloribus intertextâ splendebant magnificè, et etiam T. Lucretius scripsit, Et ob hanc causam puto Septuaginta pro *שָׂמַר*, reddidisse *πεδῶν*. At Aquilas cum Chaldæo verit, *στέλλιν βεβηλωτικῶν*, Symmachus *ἐνδύματα σπῆς*. Josephus *χλαδῶνα*, hoc est, elegantiorum vestem militarem. Denique Latinus pro *synar*, hoc est, Babylonicum, dixit, *coccineum*, Nam Persarum, finitimarumque gentium verum eo colore se ostentare solere, vel inde constat, quod captis ab Alexandro Susis, inventa illi fuerint, ut refert Plutarchus, quinquaginta millia pondo, sive talenta purpuræ hermonicæ. Quin etiam veterum Hebræorum nonnulli, ut proditur in Genesi magnâ, illud, *addereth synar*, quod vult purpuram Babylonicam, nonnulli stolam roturam sunt interpretati. Nam cocci, et purpure liquores eundem ferè colorem rubrum efficiunt; unde alterum pro altero usurpatum videmus apud Evangelistas, cùm vestem describant, quâ Christo, tanquam regi, convicia faciebant impij carnifices. Sed jam ista nimis fortassè prolixè persequor. Sequitur in sacro textu: *Et auctentis siclos argenteos*. Id dimidium est ejus pretii, quod Abraham redemit sibi suisque speluncam duplicem ab Ephrone Hethæo. Definit autem sacra historia siclum sanctuarii, pretio obolorum viginti, quos obolos *סָבָל* vocat. Josephus verò libro 5 Antiq. cap. 10, scribit, siclum esse drachmas atticas quatuor, hoc est, staterem unum, sive semunciam; unde et Symmachus hoc loco pro siclis, dixit *σπαρταρα*, ut solet plerumque Aquilas quoque. Et hoc verum sicli argentei pondus esse, ostendunt vetustissimi sicli, justissimâ trutinâ appensi; quorum unum mihi amicitæ gratiâ olim dono dedit vir, ob hebraicam typographiam, et ejus lingue non solum studium, sed egregiam scientiam, atque imprimis, ob singularem animi probitatem et candorem, æternâ memoriâ dignissimus, Daniel Bombergus.

Eorum lemma utrinque litteris prisicis Hebraicis, sive, ut Talmudici appellant, Libanæis, vel, ut alii, Samaritanis scriptum, in eâ facie, quæ virgam Aaronis ostendit, tale est: *Jerusalem sancta*; in alterâ verò facie, quæ vasculum illud, quod manna servabatur in arcâ spectatur,

tale: *Siclus Israel*. Supra autem illum manna calicem duæ visuntur litteræ, *ו* schin; et, *א*, mem, quarum ego enodationem esse reor, Salomon rex. Sed ut ad rem redeam, confiteor ergo ducenti sicli daleros justos germanicos centum. Justos dico, non, quales nunc passim euduntur, tam dilutæ temperaturæ, ut chrysurgica non possit citra consistere, sed quales superiore ætate divi Joachimi imagine signari solebant. Dudens vir doctissimus siclum æstimat solidis gallicis circiter quatuordecim. Sed eos quoque solidos oporteat melioris esse indicatione, quàm sunt ii qui nunc apud Gallicos pervagati sunt. Ceterùm quia in sacrâ historiâ mentio est sicli sanctuarii, credibile est, alium fuisse vulgarem siclum, sive profanum; hunc ergo existimant quidam illos dimidium valuisse, hoc est, drachmas duas, quâ æstimatione Septuaginta hic siclum sunt interpretati. Sed, ut hoc quoque obiter explicem, est et auroreum siclorum mentio in Paralipomenis, quolibet David aream locandæ domui sacræ ab Ornan, sive Areuna, Jebuseo redemit. Hos ego pondere quidem æquales, et lemmate similes argenteis illis siclis fuisse, sed pretio, pro auri ad argentum ratione et analogiâ, præstitisse dixerim, atque inde esse, quod in eadem unâ illâ narratione, in Regum libris, et in Paralipomenis, tam diversa pretii arcæ summa sit profita. Quinquaginta enim siclis rem esse transactam, memorat Regum historia; à sexcentis Paralipomena, quæ proportio comparatioque ea fuerit, quam habent duodecim cum uno, hoc est, ut aurum sit argenti duodecuplum, quod sanè ita esse attestatur etiam Hippiarchus apud Platonem. Nam quod in Paralipomenis dici videtur, appensos fuisse, et numeratos aureos siclos sexcentos, id non est ita, si verba hebræa rectè interpretentur. Sic enim illa habent: Et dedit David ipsi Ornan pro loco, siclos aureos; atque hic insistendum est, factâ interspiratione per accentum, quem *sakeph* vocant, inter reges non minimum. Deinde sequitur: Pondere sexcentos, sive, pondere sexcentorum, hoc est, qui valeret sexcentos siclos, argenteos videlicet. Hi enim vulgò sicli vocabantur, ut usitatiores. Quinquaginta autem aurei sexcentis argenteis siclis æquò pares erant pretio. Rursus quod in Regibus dicitur, *חָקְכָה*, non conflicti, argenteos fuisse siclos illos quinquaginta, quos numerabat David: est enim *חָקְכָה*, ac si dicas, pro pecuniâ, aut argenti pretio. Nimirum ille quod fuerat pactus argentum, exsolvit auro, pro pretii ratione. Sequi-

tur in textu: *Et linguam auream unam*. Quid sibi velit linguæ vocabulum hoc loco, non satis certum est. R. David Kimhi existimat cum Latino, laminam, sive regulam ex auro in linguæ figuram conformatam fuisse. Et Josephus quoque tametsi aurum hoc cum argento confundat, videtur opinatus rudis auri fuisse frustum, massamque. Idque credibile est. Nam etscopuli, et flamma, vocantur linguæ nomine ab Hebræis. Judaicum autem somnium est, quod Talmudici fabulantur in Capitulis Eleazaris, Achanem ex statuæ cujuspiam ore vulsisse hanc auream linguam, ante cujus pedes offenderit etiam positum honoris causâ Babylonieum illud stragulum, et oblatos argenteos siclos, quos surripuit. Sed de re incertissima non est magno opere laborandum. Vetustissimus poeta Navius gladiolum etiam lingulam vocavit, ut testatur Gellius. Fuit igitur fortassis gladiolus aureus, quo Deum aliquem suum armarant Jerichuntii. Cæterum vox פָּז, cum dicitur lingua pependisse siclis quinquaginta, desicli pondere, hoc est, stateræ, accipi potest. Nam et nummum illum argenti signati, quem dixi, et ejus pondus atque etiam pretium significat. Etenim ista verborum complexio, *quæ pendebat quinquaginta siclis*, potest duplici sententiâ intelligi, vel quod id linguæ aureæ pondus fuerit, ut valeret quinquaginta siclis argenteis, vel quod quinquaginta stateras pependit. Si illam sententiam sequimur, viginti quinque dalerorum; si hanc, trecentorum fuerit ejus pretium. Mihi posterior videtur esse credibilior. Porro cum dicitur: *Et argentum sub illo*, demonstrationis pronomen pertinet ad paludamentum, sive stragulum babilonicum. Non enim rectè reddiderunt Septuaginta, vel etiam Chaldaeus (ut certè habet meum exemplar scriptum manu) numerum pluralem, sub illis. Argenti igitur verbo, hic, etiam aurum subjectum est. Quis enim non existimet vel in fundo ipso abditam fuisse auream linguam? Idem dicendum est etiam proximo versiculo de istâ veriorum clausulâ.

VERS. 22. — MITTEBAT ERGO JOSUA NUNTIOS: ET CURRERENT, etc. Duabus magnis de causis mittendi erant nuntii, qui res abditas proferrent in medium; altera, ut comprobaretur sentis confessio. Nulla enim, quantumvis multa, ac magno studio conquisita indicia pro supervacaneis haberi debent, cum de hominis capite agitur. Vix enim illa est respub. in quâ non sit reliqua tristissimorum suppliciorum, que de innoxio hominibus, per falsas nominum

delationes sumpta sunt, acerbissima recordatio. Altera, ut res allatâ unâ cum fure comburerent, quod jusserat Deus. Sed quod curriculo properarunt nuntii, id eos credibile est imperatoris jussu fecisse, ne quis ex necessariis, aut tribulibus Achanis anteverteret, rebusque amotis actionem totam incertam et dubiam faceret. Quanquam est verisimile, per se ipsos magnâ alacritate ad cursum esse incitatos, ut quàm citissimè temp. maximo malo liberarent, cum scirent dixisse Deum, nisi abolito anathemate, se non affuturum populo.

VERS. 23. — ITAQUE TOLLEBANT EA ET TENTORIO, ET ADFEREBANT AD JOSUAM, etc. Pro eo quod est hebraicè, *et ad omnes filios Israel*, reddiderunt Septuaginta: *Et ad omnes seniores Israel*. Neque enim credibile est nuntios cum rebus inventis ad populum universum advisse atque obvisse, sed rectâ ad imperatorem, qui cum senioribus apud arcem stabat, ubi Deus per sortitionem judicium exercuerat, properasse. Nam seniores, atque *φύλακας, δὴμαρχας*, patresque familiarum, ut dixi, populum universum representabant in comitiis. Porro quod convertimus, *profundebant*, Chaldaicum imitati, est hebraicè *פָּרְסוּ*; significat autem verbum פָּר, fundere; usurpat tamen etiam pro adinibus verbis, פָּרַר, et פָּרַר, quorum utrumque significat statuerè, ponere, figere, sive locando constituere, et affirmare rem quampiam. Putat quidem R. David Kimhi nostri verbi thema esse פָּרַר. Verum ne id ei assentiar obstant grammaticorum præcepta. Summa igitur sententiæ est nuntios reculas illas explicatè ante oculos omnium collocasse, ut cum iis consentiens Achanis confessio, Dei judicium fortè factum apertius comprobaret, eoque et justiore illius indignationem omnes propius agnoscerent, et à similibus flagitiis accuratius cavendum sibi quisque intelligeret, quando nihil omnium divinos illius oculos posset latere. Latinus dixit *projecerunt*, quasi illi indignabundi res furtivas in medium abjecerint; haudquaquam ille quidem cum impijs Talmudicis sentiens, sed existimans, nuntios ipsos indignè tulisse Achanis sacrilegium. Talmudicos enim nihil pudet, in sexto illo capite τὸ συνέδριον, quod in hæc historiâ sæpè cito; nihil, inquam, eos illic pudet commemorare, quosdam suorum dixisse, Josuam, ut reculas illas furtivas conspexisset, stomachantem, et tantam Dei offensionem ob res tantillas agrè ferentem, illasante arcem in solum excussisse cum his verbis: Tunc, mundi

Domine, ob ista occisurus eras magnam senatûs Israelitici partem? Nam verbum illud, *profundebant*, litteris quidem numerum singularem præ se fert, verum legitur plurali. Sed illi homines turpissimi et à probâ religione Christi odio abalienati, de se conjiciunt, quâ sint alii mente in Deum.

VERS. 24. — JOSUA PORRÒ APPREHENDERAT ACHANEM FILIUM ZARE, etc. Omissis jam proximis parentibus, transiit ad Zaram, prosapia totius auctorem, compendii gratiâ, cum nascenti series universa nuper satis sit explicata. Sed durum videtur, et divina lenitati atque etiam scriptæ legi parùm consentaneum, quod filii scelus patris luunt. Nam in Deut. semel pronuntiavit Deus, neque parentes pro liberis, neque liberos pro parentibus esse morituros. Sed illud de humano judicio constitutum est. Josua verò Dei Jussa nunc exsequitur, quantum ne ipse quidem Deus alieni peccati penam à quoquam exigit, quod est ante satis proluxè à nobis disputatum. Quo igitur judicio Dei, inquit Augustinus, vel quâ ejus misericordiâ fuerit irrogata mors, aut filiis Achan, aut illis triginta sex viris, quos suo ille scelere, clam omnibus patrato, minime obligaverat, latet apud eum, apud quem non est iniquitas. Id verò certum est, ut idem Augustinus hoc loco scriptum reliquit, filiorum Achanis necem fuisse utilem ad refrenandam similem reliqui populi auctam, quod in periculosissimis novi imperii, et laetioris fortunæ primordiis planè erat opus. Quodnam enim potest cuiquam faci-nus videri gravius, magisque detestabile, et pestiferum, quàm quo non se solum, sed omnem suam secum posteritatem in exitium abrepturum se, precipitaturumque intelligat? Dicunt quidem Talmudici, tum in Capitulis Eleazaris, tum ἐν τῷ συνέδριον, liberos fuisse patri conscios sui sacrilegii, atque ideo suas meriti culpas ipsos pependisse; at nullam causam afferunt, quâ id affirmant; pars etiam putant illos non fuisse abreptos cum parente ad supplicium, sed ad spectaculum, terroris causâ, idque istis assentiunt RR. Isaias, et Levi F. Gersonis, quorum hic argumentum ratione neque etiam affert, quod proximo versu scriptum est: *Et lapidabant illum omnis Israel*; non, *illos*. Atqui mox subjectum est: *Et lapidabant ipsos lapidibus*; fateor, inquit Levi, sed hic numerus plurium ad animalia et suppellectilem pertinet.

Quàm sint hæc parùm firma, quis non videt? Nos igitur cum divo Augustino existimare ma-

limum, justissimo Dei judicio, nec sine divinâ misericordiâ, occisus cum patre esse liberus; neque tamen paterni maleficii penas illos solvise. Et quando hoc argumentum proflixius tractavimus ad versiculum 21 capitis 6, id modò hic monemus deinde, hujuscemodi judicij Dei haudquaquam nostro sensu, nostrisque legibus esse metienda, sed ut planè justissima, reverenter suscipienda atque amplectenda. Quantò enim est *caelum terrâ altius, tantò sunt sublimiores viæ Dei nostris viis, et consilia Dei nostris consiliis*, ut est apud Isaiam 55, v. 9. scriptum. Quippe statendum est, nisi infili simus, immensum esse Dei erga genus humanum amorem, et proinde neminem aut morte, aut calamitate aliâ mulctari, nisi quantum id divina justitia dictat, et simul misericordiâ, cum illi qui mulctatur, reipsâ, tum aliis exemplo utile esse cognoscit. Cui rei, cum alia plerumque, quæ sacris litteris prodita sunt, tam illud cum primis argumento satis magno est, quod apud Jonam ille ignoscentissimus se esse declarat: neque id solum adversus homines, presertim eos qui non adunt discrimen inter dextram suam et sinistram, hoc est, qui per etatem sunt innocentes, verum etiam erga brutas pecudes, cum sit omnium opifex et parens. Sed jam pergamus. Accurata illa rerum omnium enarratio, quas cum sote abolitum eunt, commendat imperatoris diligentiam curamque, pro salute populi. Nihil enim de anathemate reliquum fieri debuit; anathema autem esse censebatur, quidquid ad eum qui in noxâ erat, pertineret, quasi paucule illæ res per sacrilegium subtractæ non ipsam sacrilegium modò, sed simul ejus liberos, opes, fortunamque omnes contaminavissent. Afferbat enim ista opinio metum utilem populo, cum intelligerent, quantum esset peccati contagium. Quò etiam illud spectat, quod furtivum hoc aurum argentumque inferri in suum thesaurum non vult Deus, sed unâ flammis tradi. Similis est majoris etiam, ut videtur, severitatis exemplum statuitur, Dei lege, in eas civitates, quas Judæi יְרֵמֵתוּ וְעָרֵי מִלְּחָמָה vocant, quæ totæ cum rebus omnibus abolerentur funditis, cum foeda religio pervagata in illis longius latiusque est: ne sciam eadem pernicies in aliorum atque aliorum animos illapsa, repente populum omnem evertat. Porro illud: *Constitabatur autem illum omnis Israel*, interpositio est, quâ populi alacritas et studium ad expiandum facinus, Deumque placandum commendatur. Et fortassis oblique

simul tribus Juda à contumaciæ suspitione vindicatur: quæ non torquet indignatione, ob acceptam propter suum tributum ignominiam, sed pari cum aliis alacritate pompam supplicii prosequitur. Sed cur *subducebant illos in vallem Achor?* nimirum nefas erat in castris ullâ de causâ interimere hominem. Ut enim ante est à nobis expositum, immanis per se res est humana cædes. Vocatur autem supplicii locus *vallis Achor*, *אָכֹר* *אָכֹר*. Achan enim etiam Achar appellatum esse ostendimus supra. Sed enim parum congruere dicitur *subducendi* verbum cum valle. R. David Kimhi ergo suspicatur, inter castra et eum locum fuisse collem aliquem superandum: sicut contra, in Judicum historiâ, descenditur ad rupem in quam Samson fugerat. Sed nulla est causa istarum angustiarum, cum pro, *subducebant*, rectè possis dicere, *inducebant*. Verbum enim *וָלַל*, in levi formulâ, quam Kal nominant grammatici, sæpè significat, intrare; ergo etiam in Hiphil, infere, et inducere. Chaldaeus pro *valle*, dixit, *planitiem*. Equidem puto de illâ planitie, aut valle agi, quæ ab Jerichunte continuo tractu ad Sichem usque procurrit, fertilis cum primis et pascua, ut ex Isaie verbis constat, qui sicut Sarona campum ab ovibus, ita vallem Achor commendat à pinguibus bobus. Nam etiam Osee, quamvis lectè, in istâ valle primum apparuisse Israelitis speciem fecunditatis terræ promissæ, spernque ipsos concepissem animis fortunæ lautioris ex hujus ubertate vallis, mihi certè, videtur dicere, 2, v. 15. cum Deum inducit hic vitam ad suum populum verbis: *Et dabo ipsi inde vites suas, et vallem Achor, pro jama spei*. Sed erit de valle Achor plura dicendi alius locus.

VERS. 25. — DICERATQUE JOSUA: EHEU, CONTURBASTI NOS, etc. Verbum *וָלַל* Achar, quo ad Achanis, sive Acharis nomen aluditor, propriè significat conturbare, ut mecum Aquilas, Symmachus, Theodotus, Chaldaeus, Latinus denique sunt interpretati. Attamen usurpatur aliquando, pro corrumpere, perdere, abolere, hoc est, *destruere*, ut Septuaginta converterunt. Nam quæ conturbantur, ea amittunt nativam gratiam ac decus. Vocula autem *וָלַל* sæpè illa quidem interrogationis dat significationem, et hoc loco, ut mihi videtur, lamentationis et querelæ nota potius est, cum interrogatione conjuncta, ac si dicas: O quantum! Eheu! quibus modis! etc. Nam sic etiam ab Ezechiele usurpata semel atque iterum est, sed per *kamez* scripta. Cæterum futurum *וָלַל* contur-

habit *וָלַל*, per finitum modum, libentis, quàm optativum, aut imprecativum, ut sic dicam, reddidit, ne ista ab Josua per iram agi viderentur. Quis enim non existimet, mississimum imperatorem summâ cum misericordiâ ad sumendam hanc ab Achane penam descendere? Et quod scit Philo Judæus de ipso Deo scribit, cuius spiritu Josua regebatur; *ὁ θεὸς ἔλεος, καὶ δεικνύσκει δίκην*, hoc est, ut panium explicitum, iudicii constituti severitatem non sine misericordiâ exsequi, et tamen per misericordiam, cur minus justitiae atque iudicium reddat tenorem cæsumque, minime impediri. Turpis enim molles est, et crudelis misericordia in principe suo, vel magistratu, præ nimia animi tenentate, justos de sceleratis penas non exigere, atque meliorum impunitate effrenatum alere hominum forem, hoc est, malis parendo perdere bonos. Sicut rusticus belluina immanitas, in hominem vincit, immanem, penitentem, et planè miserum ac miserabilem, quantumvis aliqui multis gravibusque coopertum culpis, adhibere savitiam, eumque per iram hinc punire. Quis enim ita prorsus omnem exeat humanitatem, ut in hominum carnificibus ipse sibi veluti delicias faciat? Sanè talem animi intemperiem opinor Anabaptistas, fanaticum genus hominum, attribuere magistratu, cum eum adversus christianam charitatem peccare organant, quando noxios viâ mactat. Sed ut eò revertar, unde paulum egressus sum, non damno tamen Latino, qui reddidit: *Turbet te Deus*, modò ut sit ea iudicis oratio, sententiam pronuntiantis, non exitum imprecantis. Cæterum eum Jehovah iudicem culpe facit Josua, ostendit, Dei opus esse supplicium, quod de nocentibus legitè sumpsit magistratus, ut illius administer; idque Paulus quoque Romanis scripsit. Quòd si verò eam d. rem, suam etiam et privatam iram adhibet, jam se humanae cædis reum facit, omni non tam Dei, quam suæ d. bis administer est, atque ut hostis hominem percussit. Porrò ex eo quod sequitur: *In hoc die*, colligunt Talmudici in *ἡ σὴν ἡμέρα*, Achanem in hac vitâ, non item in alterâ penam dedisse Deo, atque in hanc sententiam Judæi omnes pedibus valent. Nobis verò credibile id quidem videtur, sed non ob ista verba, verum potius, propter ingenuam illam confessionem, Nam istud: *in hoc die*, nihil significare aliud censeamus, quàm illud crebro usurpatum: Sicut hoc die, vel, sicut iste dies, quod Septuaginta hoc quoque loco expresse-

runt. Est autem id ferè affirmandæ rei nota, tanquam per evidentiam quandam, ac si dicas, *planè*, omnino, prorsus, clarè, apertè et tam certò quàm præsentis diei lucem vides, quâ frueris. Sequitur: *Et lapidabant eum omnis Israel, lapide*. Diximus ad versiculum 15 quid de hoc loco sentiret divus Augustinus, et quid R. Salomon, quorum neutrius sententiam probabamus. Sunt igitur alii, qui hanc particulam, ab illâ alterâ in versiculi extremo positâ non differre sensu putant. Hoc enim pronomen singularis numeri, *illum*, *καὶ ἐλάσαντο*, ἢ *κατὰ συνάληψιν*, pro *illos*, positum esse: utraque verò hoc ipsum significare, quod insequentis versiculi initium, id est, obrutos esse, tum Achanis, tum rerum cæterarum cineres lapidibus à vulgo coniectis. Itaque narrari nunc ante extinctionem, quod post fiet. Hanc ego sententiam non quidem prorsus repudio, verum neque planè approbo. Insolens enim videtur ista verbi, *lapidare*, significatio. Quare verius, simpliciusque existimo esse, Achanem cum rebus suis omnibus, atque liberis, extitum quidem esse, pro Dei jussis; nam aliqui etiam æolæne erat, igne sacrilegia expiare, neque anathema magis prorsus, ut sic dicam, potuit aboleri, quàm si in flammam fumumque abiens dis iparetur atque evanesceret. Verum interea dum ille ducitur, dum rogius struitur, incenditur, condescenditur, populum placandi munus avidum à jacendis lapidibus non continuisse manus, ut sit, dum quisque pro se conatur maximè strenuus videri in publicâ pernicie propellendâ.

Sed neque illa fortassis absurda fuerit sententia, si extinctionem à Deo mandatam ad cadavera spectare dicamus, cæteroqui viva corpora esse lapidibus enecata, et lapidum denique cumulo obrutos et contentos cineres. In libro Talmudici, sive *מִלְבָּרַל*, scripta est veterum Hebræorum hæc sententia, solum Achanem fuisse lapidatum, prius quàm exureretur, idque propter violatum sabbatum. Cum enim, inquit illi, capta die sabbato esset Jericho, Achan suam rem, non Dei, agens, sive, ut Isaias loquitur, *siam roburatum faciens*, diem sanctum profanavit, cui flagitio penam consultus Deus constituerat lapidationem in Numeris. Deinde verò cum rebus aliis in ignem esse coniectum, quippe qui simul impiâ sacrilegi fraude esset obligatus, hii ergo pronomen pluralis numeri, *ipso*, pro singulari accipiunt.

Quæ est igitur causa, dices, illarum angustiarum, in quibus versabatur divus Augusti-

nus, vir aliqui acutissimus? Nimirum ille septuag. Interpretum secutus fidem et auctoritatem, quæ apud ipsum erat summa, nullam hic extinctionis mentionem audiebat. Illi enim interpretes eam verborum complexione, quæ in hebræo est, *וְלִפְנֵי יְהוָה*: *Et comburebant ipsos igne*, nullo verbo representarunt, cum putarent esse supervacaneam.

VERS. 26. — EXTRUBANTQUE SUPER EUM TEMPLEM LAPIDUM, etc. Dixi nuper, R. Levi F. Gersonis existimare, liberos Achanis non esse affectos supplicio, quia uni soli tumulus struitur. Atqui numerorum *עַלְלָאָה* usitatissima est in sacris literis. Ad hoc, unus Achan ut nocens, hoc supplicio interfectus est; liberi verò ejus, resque alia, eum accessio, adiunguntur; non ergo mirum, si unius tumuli mentio fit. Sed enim ut Achanis hic funeri, ita mox regis Hæi, et alibi Absalonis, atque aliorum cadaveribus, lapidum acervi esse impositum memoratur. Id autem ego sic esse accipiendum existimo, ut, quæ fuit religiosa antiquitatis pietas, injecta primum corporibus gleba fuerit, humusque, ne solis illa lapidibus, sed terrâ ritè tecta, verèque sepulta et humata jacerent. Neque enim lapidibus, quasi operimento, fuisse obducta ipsa, sed ex lapidibus statutum esse ipsis tumulum narratur. Est enim in sacro textu hic verbum, *עַלְלָאָה*, alibi *וְלִפְנֵי יְהוָה*, quæ verba erigere et statuere significat. Ejusmodi enim monumentis non minus malorum consignari memoriam, quàm bonorum hominum utile erat, ut in utrisque proposita posteritati exempla essent, quæ mentes tum ad virtutes inalarant, tum à vitis reflecterent. De clausula, *usque ad hanc diem*, satis multa ante.

Sequitur: *Et reliit Dominus ab indignatione iræ suæ*. Usitatum in sacra historiâ est, Deo personam hominis circumdare, multaque ad similitudinem imbecillitatis humane in ipsum traducere. Itaque ea nunc placidum, nunc iratum describit, tametsi ille sui semper similis, et planè *ἀπαρτῆς*; sit: ut enim noster captus est, non ut illius sensus, ita illa loquitur, et ad nostras perturbationes emendandas, Deum animo perturbato inducit. Igitur quod hoc loco memoratur, decedere ab indignatione, sic est accipiendum, meliore eum nunc spe animos populi confirmasse: sequè rusticus, ut ante, benignum rebus omnibus declarasse Hebræicè est *וְלִפְנֵי יְהוָה*, id quod converti, *indignationem*. Nam furorem dicere, cum multis, religio mihi erat. Tantum enim animi morbum

Deo attribuere, vel verbo tenens, impia consuetudo videtur. Neque verò furor etiam illi voci subijciatur, quæ exardescantiam propriè significat; et aliqui sepè non pro hile commotâ, sed pro animi molestiâ tædioque usurpatur. Porrò verbum נָפַח reddidit passivè, ut sic dicatur.

CAPUT VIII.

1. Dixit autem Dominus ad Josue : Ne timeas neque formides ; tolle tecum omnem multitudinem pugnatorem , et consurgens ascende in oppidum Hai : ecce tradidi in manu tuâ regem ejus, et populum urbenque et terram.

2. Facies quæ urbi Hai et regi ejus sicut fecisti Jericho et regi illius ; prædam verò et omnia animantia diripiatis vobis. Pone insidias urbi post eam.

3. Surrexitque Josue, et omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hai ; et electa triginta millia virorum fortium misit nocte ;

4. Præcepitque eis, dicens : Ponite insidias post civitatem, nec longius recedatis, et eritis omnes parati.

5. Ego autem et reliqua multitudo quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cùmque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus et terga vertemus ;

6. Donec persequentes ab urbe longius protrahantur ; putabunt enim nos fugere sicut priùs.

7. Nobis ergo fugientibus et illis persequentibus, consurgetis de insidiis, et vastabitis civitatem ; tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras.

8. Cùmque ceperitis succendite eam, et sic omnia facietis ut jussi.

9. Dimisitque eos, et perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter Bethel et Hai, ad occidentalem plagam urbis Hai ; Josue autem nocte illâ in medio mansit populi.

10. Surgensque diluculo recensuit socios, et ascendit cum senioribus in frontem exercitus, vallatus auxilio pugnatorem.

eam, quia crebrò in illiusmodi orationibus sic video esse positum, aut certè absque personâ, exiret. Si quis tamen imperatoris nomen, Josua, suggerendum esse malit existimare, non contendam contra. De valle Achor nuper dicebamus.

CHAPITRE VIII.

1. Le Seigneur dit alors à Josué : Ne craignez point, et ne vous effrayez point. Allez, conduisez toute l'armée, et marchez contre la ville de Hai ; je vous en ai livré le roi et le peuple, la ville et tout le pays.

2. Et vous traiterez la ville de Hai et son roi comme vous avez traité Jericho et son roi ; mais vous prendrez pour vous tout le butin et tous les bestiaux. Or, pour réussir dans cette entreprise sans fatiguer l'armée par un siège et sans l'exposer à un combat, vous dresserez une embuscade derrière la ville ; ceux que vous choisirez pour cette embuscade exécuteront les ordres que vous leur donnerez.

3. Le lendemain matin Josué se leva donc, et toute l'armée avec lui, pour marcher contre Hai ; et dès le commencement de la nuit il envoya trente mille hommes choisis des plus vaillants d'Israël ;

4. Auxquels il donna cet ordre : Dressez une embuscade derrière la ville ; ne vous éloignez pas beaucoup ; et tous tant que vous êtes, tenez-vous prêts.

5. Pour moi j'irai attaquer la ville d'un autre côté avec tout le reste du peuple qui est avec moi ; et lorsqu'ils sortiront contre nous, nous tournerons le dos pour fuir, comme nous avons fait auparavant ;

6. Jusqu'à ce que ceux qui nous poursuivront aient été attirés plus loin de la ville ; car ils croiront que nous fuirons en effet, comme nous avons fait la première fois.

7. Lors donc que nous fuirons et qu'ils nous poursuivront, vous sortirez de votre embuscade, et vous détruirez la ville ; car le Seigneur votre Dieu vous la livrera entre les mains.

8. Quand vous l'aurez prise, mettez-y le feu, pour nous avertir que vous en êtes les maîtres ; et faites tout selon l'ordre que je vous donne.

9. Josué les ayant donc fait marcher, ils allèrent au lieu de l'embuscade, et se mirent entre Bethel et Hai, du côté qui regarde l'occident de la ville de Hai. Mais Josué demeura cette nuit-là au milieu du peuple ;

10. Et le lendemain, s'étant levé avant le jour, il fit la revue de ses gens, et marcha avec

11. Cùmque venissent et ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam et eos erat vallis media.

12. Quinque autem millia viros elegerat, et posuerat in insidiis inter Bethel et Hai, ex occidentali parte ejusdem civitatis.

13. Omnis verò reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illâ, et stetit in vallis medio.

14. Quod cùm vidisset et rex Hai, festinavit manè, et egressus est cum omnium exercitus civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quòd post tergum laterent insidiæ.

15. Josue verò et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum et fugientes per solitudinis viam.

16. At illi vociferantes pariter et se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos ; cùmque recessissent à civitate,

17. Et ne unus quidem in urbe Hai et Bethel remansisset qui non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta oppida relinquentes),

18. Dixit Dominus ad Josue : Leva clypeum qui in manu tuâ est contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.

19. Cùmque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ quæ latebant surrexerunt confestim ; et pergentes ad civitatem ceperunt et succenderunt eam.

20. Viri autem civitatis qui persequabantur Josue, respicientes, et videntes fumum urbis ad cælum usque conscendere, non poterunt ultra huc illicque diffugere, præsertim cùm hi qui simulaverant fugam et tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissimè restitissent.

lesanciens du peuple et les principaux officiers à la tête de l'armée, soutenu du gros de ses troupes.

11. Et lorsqu'ils furent arrivés à la vue de Hai et qu'ils eurent monté devant la ville, ils s'arrêtèrent du côté du septentrion de cette ville, entre laquelle et eux il y avait une vallée qui semblaît devoir être le champ de bataille.

12. Mais avant d'en venir aux mains, Josué avait choisi cinq mille hommes des trente mille qu'il avait mis en embuscade entre Bethel et Hai, à l'occident de la même ville, et avait ordonné à ces cinq mille hommes de se jeter dans Hai dès que les habitants en seraient sortis.

13. Or, ces hommes se tenaient dans leur embuscade, et tout le reste de l'armée marchait en ordre de bataille du côté du septentrion, en s'élargissant néanmoins de telle sorte que les derniers rangs s'étendaient jusqu'à l'occident de la ville. Josué ayant donc marché sur la fin de cette nuit-là, s'arrêta au milieu de la vallée.

14. Ce que le roi de Hai ayant vu, il sortit en grande hâte dès le point du jour avec toute l'armée qui était dans la ville, et il conduisit ses troupes vers le désert, c'est-à-dire, vers la plaine de Galgala, d'où les Israélites étaient partis, ne sachant pas qu'il y avait des gens en embuscade derrière lui.

15. En même temps Josué et tout Israël lâchèrent pied, faisant semblant d'être épouvantés, et fuyant par le chemin qui mène au désert de Galgala.

16. Mais ceux de Hai, jetant tous ensemble un grand cri, et s'encourageant mutuellement, se mirent à leur poursuite ; et étant tous sortis de la ville,

17. Sans qu'il en demeurât un seul dans Hai et dans Bethel, de ceux qui pouvaient porter les armes, qui ne poursuivait Israël, parce qu'ils étaient sortis tous en foule, ayant laissé leurs villes ouvertes.

18. Le Seigneur dit à Josué : Levez contre la ville de Hai le bouclier que vous tenez à la main, parce que je vous la livrerai. Et ayant levé son bouclier contre la ville, ceux qui étaient cachés en embuscade, ayant eu ce signal, dont on était convenu, se levèrent aussitôt, et marchèrent vers la ville, la prirent, et y mirent le feu.

19. Or, les gens de la ville qui poursuivaient Josué, regardant derrière eux, et voyant la fumée de la ville qui s'élevait jusqu'au ciel, et